



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Contra magnas tentatoris vires, maiores adesse vires Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

nouit & DEVS, quibus auxilijs hæc omnia superentur. Infinita est eius scientia, vt nullius illi possit error ascribi: infinita vis & potentia, vt non deficiat eius p̄testas; infinitus amor, vt de nulla possit inclementia accusari.

Hinc omnia ei tentatoris consilia, omnes doli, omnia stragemata sunt cognitissima. Hinc perspicuè videt quid orcus possit, quantæque sint vires Acherontis; quanta item hominum imbecillitas. Omnia enim ei manifesta sunt. Sed & omnia possibilia sunt apud DEVM. Hinc manum porrigere, hinc opem afferre etiam in rebus desperatissimis nouit; & ipsos etiam auxilijs suis homines quodammodo facere omnipotentes: vt dicere adeò quispiam ausus sit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Esto igitur, immanissimi sint Alastores, & spirent minas, more gigantum sub aquis gementium; nihil tamen omnino possunt efficere, etiam contra puerum vix è cunis exeuntem, aut contra fragilem sexum puellarum; aut contra grallis incedentem senem, aut contra quemcumque alium, quantumcumque tandem imbecillum, diuino robore munitum. Nonnè gigas erat Goliath, & armis ferreis instructus? processit contra eum pastoritius puer, baculo & funda, gladij & balistæ loco armatus, & exiguo lapillo in terram applausit lacertosum gigantem; proprioque gladio contruncavit. Hæc est manus Domini: hæc dextera excelsi. Scit ergo DEVS, vbi, & quando sit succurrendum; & vim habet, quâ possit succurrere. *Quoniam quis DEVS, prater Dominum? qui decet manus meas ad prælium?*

Cur igitur tot quotidie succumbunt, inquires, cur tam paucievadunt victores? An fortasse, qui nouit nostram debilitatem, & vires habet, quibus succurrat, succurrere non vult? Absit, vt hoc credamus; nihil magis repugnat diuinæ bonitati. Infinita est DEI charitas. E quo fonte promanat, vt ei non possit deesse voluntas succurrendi. Neque aliquibus dumtaxat, sed omnibus succurrit, qui omnes vult saluos fieri. Spectat igitur ad charitatem illius infinitam; vt, cum Satanæ potestatem facit nos tentandi, non solùm id faciat ad vtilitatem nostram, & aliquem cum tentatione prouentum capiendum; sed etiam vt sufficientia nobis auxilia suppeditet, quibus tentationem superare, & victo-

IV.

Matth. 19. 26;

Phil. 4. 31

1. Reg. 17. 49;

Psal. 15. 8;

Psal. 43. 4;

Psal. 17. 32.

& Psal. 143. 1;

V.

1. Tim. 2. 4;